

A. S. S. & T.

DISCURSUS THEOLOGICUS,  
*De*  
DESPONSATIONE  
FIDELIUM CUM  
CHRISTO;

*Quem*

E censurâ & approbatione Ad. m R. da Facul-  
tatis Theologicæ,

*In Regiâ Academiâ Aboënsi,*

Publicæ disceptationi submittit

PETRUS LAURBECCHIUS,  
Poësis Professor Ordinarius, & Ecclesiæ  
Piikensis Pastor,

RESPONDENTE

JOHANNE AURICOLA Nyl.

*In Auditorio Maximo,*

Ad d. 12. Nov. Anno c. d. m. c. lxxx. l.

A B O Æ,

---

Excusus à JOHANNE WALDIO, Reg. Univer-  
sitatis ibidem Typographo.

Serenissimæ Regiæ Majestatis, Regni-  
que Sveciæ viro fidelissimo,

*Perillustri ac Generosissimo Domino,*

Dn. AXELIO R. G.

SENHANE,

Libero Baroni de Ickala-  
borg/ Domino in Torpa/

Lystad/ Hagan/ & Engels-  
holm/ Nylandiæ & Tava-


stia Regiorum Præ-

fecto longè Emi-

nentissimo:

*Disputationem hanc Theologicam  
in submissi gratiq; animi si-  
gnum reverentè & profes-  
siosè offert*

Respondens.



I. N. 7.

De

DES P O N S A T I O N E  
F I D E L I U M C U M  
C H R I S T O .

§. 1.



Ulla propemodum  
frequentior hodie dis-  
putatio est, quàm de  
*Veritate Christianismi*, quâ  
in re ille consistat præ-

*Inficuti  
ratio.*

cipuè, & apud quosnam eorum, qui  
se Christianos dici volunt, omnium  
purissimè inveniatur. Quamvis enim  
apud horum ferè omnes certum ac in-  
dubitatum sit, Christianismum totum  
*Fide verâ & Vitâ sincerâ, seu Fide & Bo-  
nâ conscientâ* absolvi, 1. Timoth. 1. v.  
18, 19. & c. 3. v. 9. aut, quod idem est,

A

*Fide*

*Fide & Dilectione, 1. Joh. 3. v. 23, quod de Unione cum Christo, & Imitatione ejusdem, explicatur ibidem c. 2. v. 6. diffinitendum tamen nullo modo est, in explicatione pariter & applicatione hujus doctrinæ, non parùm discrepantiæ deprehendi. Non abs re igitur facturos existimavi; cum verus Christianismus non consistat in verbis aut gestibus externis, sed in verâ fide, ex quâ bonorum operum fructus enascuntur, sive in Unione cum Christo per Fidem, & Imitatione illius per Bona opera; sive verâ Unione sive Desponsatione Fidelium cum Christo, hic breviter dispiciamus.*

2. Cum verò *Actiones Dei*, ejusdem *subordinata Decreto*, de beneficiis per Christum partis, hominibus in Regno gratiæ actu offerendis atq; applicandis, *media* sint eadem beneficia conferendi atq; obfignandi; priùs utiq; illa *unio* seu *Desponsatio cum Christo*, consideranda in actu erit, ut est *Actio Dei*, nempe ipsa *unio spiritualis Fidelium*, ad unum corpus *mysticum cum Christo capite constituendum*, Eph. 2. v. 22, 23. ibidem c. 4. v. 15. quàm

Desponsationis  
seu Unionis  
Fidelium  
quæ hinc  
acceptio



*in statu*, quando *unionis effectum* notat,  
 h. e. unionem fidelium & Christi,  
 invicem utrinque recipiam, Joh.  
 15. v. 5. Eph. 4. v. 16. quomodo  
*Ecclesia Invisibilis rationem propriam* con-  
 stituit, Joh. 17. v. 21. 1. Joh. 1. v. 3. ibi-  
 dem c. 3. v. 24. quam etiam Ecclesie  
 formam Internam pleriq; orthodoxi  
 agnoscunt. Nobis ergo *Desponsationis*  
 seu *Unionis* vocabulum, *Actionem* hic  
*divinam* significabit, cujus rationem,  
 utpote omnem ingenii humani captum,  
 adeoque vim naturæ universæ superan-  
 tem, inter *mysteria* sive *Articulos fidei*  
 Symbolum refert Apostolicum, ubi cre-  
 dendam præfinit *Sanctorum communio-*  
*nem*. Confer Luther, Catechism. Ma-  
 jor. Symboli Articul. 3.

3. Est autem *Desponsatio* sive *Unio Fi-* Definitio.  
*delium cum Christo*, definiente Botlac-  
 co Breviar. Theol. l. i. c. 19. q. 1. *Actio*  
*Dei gratiosa, quâ nos ille unum efficit cum*  
*Christo per fidem, ita ut in ipso simus, & i-*  
*pse in nobis*, Joh. 6. v. 56. Quibus lucem  
 addunt, Brochmandus Syst. Theol. Loc.  
 xxvii. & Friedliebuis, Medul. Th. p. m.

695. (Brochmandum exscribens) Con-  
junctionem admirandam & arctissimam, u-  
niversumq; natura ordinem supergressam in-  
terpretautes, quã peccatores fideles, per  
veram fidem & Dei Spiritum cum Christo u-  
num facti, unum sunt cum Deo Trinuno, in-  
que communionem mortis ac vita Christi vitam  
obtinent aternam. Commentarii verò  
instar habent illa Kœnigii Theolog.  
Posit. Acroamat. part. 3. §. 586. Unionem  
hanc Mysticam describentis, Actum gra-  
tia Spiritus S. applicatricis, quo sub-  
stantia fidelium substantia Sacrosan-  
ctæ Trinitatis & Carnis Christi, me-  
diante fide Verbo Evangelij & Sa-  
cramentorum usu accensã, arctissime,  
impermixtibiliter tamen, illocaliter  
& incircumscriptivè jungitur, ut u-  
niti hoc modo Deo & Redemptori, de  
gratiã presenti & gloria subsecuturã  
certiores inde facti, in statu Filiorum  
Dei perseverent, & tandem aternum  
salvi fiant.

4. *Desponsationis* appellationem accipit No men  
clatura  
& syno-  
nima.  
Cantic. 3. v. 11. Ose. 2. v. 19. 20. Dicitur  
præterea, (1) *Conjugium Christi & Ec-  
clesiæ mysticum*, Psal. 45. v. 10. Eph. 5. v.  
24, 25. (2) *Nuptia Christi seu Agni*, Matt.  
22. v. 2. Apoc. 19. v. 7, 9. (3) *Mansio S. Tri-  
nitatis apud credentes*, Joh. 14. v. 23. (4) *In-  
habitatio Christi in cordibus credentium*, Eph.  
2. v. 22. ibidem c. 3. v. 17. (5) *Gratiosa Dei  
apud fideles presentia*, Psal. 91. v. 15. Matt.  
18. v. 20. ibidem c. 28 v. 20. (6) *Conjun-  
ctio membrorum & capituli*, Eph. 1. v. 22, 23.  
*Ædificij viri & fundamenti immoti*, Eph.  
2. v. 20. 1. Pet. 2. v. 4, 5. *vitis & palmitum sps-  
ritualium*, Joh. 15. v. 4, 5, 6, 7. (7) *Unio fidelium  
cum Christo*, Joh. 17. v. 11, 21. Rom. 12. v. 5. Gal.  
3. v. 18. Quia autem *Unio hominis cum Deo*,  
*est alia Generalis*, omnibus communis,  
quâ in Deo sumus, vivimus & move-  
mur, Act. 17. v. 28. *alia Specialis*, creden-  
tibus propria; eaq; vel *Gratiosa*, in Ec-  
clesiâ militante, quâ credentes in unum  
cum Deo & Christo coalescunt Spiri-  
tum, Joh. 17. v. 11, 21. vel *Gloriosa*, in  
cætu electorum triumphante post hanc  
vitam, ubi Deus erit omnia in omni-  
bus, 1. Corinth. 15. v. 28. Illa *Gratiosa hu-*



jus loci est ; à Theologis dicta aliàs *Unio Spirituális*, quia à Spiritu S. proficitur, & modo spirituali, non carnali, perficitur, 1. Cor. 6. v. 16, 17. item *Mystica*, quia unio hæc magnum mysterium est, Eph. 5. v. 32. (8) *Communicatio Spiritus S.* 2. Corint. 13. v. 13. 1. Joh. 4. v. 13. Confer Chemnitium de Duab. Nat. c. 20. Hisque & id genus aliis locutionibus, arctissimam inter Christum & Fideles Unionem Scriptura designat.

Causa  
Efficiens

5, *Efficiens* hujus *Unionis* Princeps, est *Sacrosancta Trinitas, Pater, Filius, Spiritus S.* ineffabili vi fideles Christo per fidem inserens. Patri tribuitur, Eph. 1. v. 17, 22, 23. Filio Christo, Joh. 15. v. 5. Spiritui Sancto, 2. Corinth. 6. v. 19: cui etiam, uti totum Sanctificationis opus, hanc *Unionem mysticam* Scriptura Sancta & Symbolum Apostolicum appropriat. *Causa Promerens* est Redemptor Θεός & ἄνθρωπος, secundum utramq; naturam, Eph. 2. v. 20, 21. *Instrumentalis, ex parte Dei*, sunt Verbum & Sacramenta, Joh. 14. v. 23. 2. Pet. 1. v. 3, 4. Eph. 5. v. 26. Gal. 3. v. 27. 1. Corinth.



Corinth. 10. v. 16, 17. ex parte *Hominū*,  
 est Fides, Joh. 6. v. 56. Gal. 2. v. 20. i-  
 bidem c. 3. v. 26, 27. Eph. 3. v. 17. 1 Joh.  
 4. v. 15. *Administra* causæ sunt Verbi  
 Divini præcones, Prophetæ & Apo-  
 stoli, omnesque Dei Mysteriorum  
 dispensatores sinceri, Eph. 4. v. 11, 12,  
 13. 2. Corinth. 11. v. 2. *Finis ultimus* est Finis  
 Salus & æterna beatitudo, 1. Joh. 2,  
 v. 24, 25, 28. *Intermediy* sunt, Certiora-  
 tio servandæ fidei & gratiæ Dei, re-  
 surrectionisque & glorificationis fu-  
 turæ, Rom. 8. v. 10, 11, 16, 26, 34, 35. Joh.  
 6. v. 54, 56, 57. *Adoptio* in filios & hæ-  
 redes Dei, cohæredes autem Christi,  
 Rom. 8. v. 14, 16, 17, 23. *Unio* fidelium  
 inter sese in fide & charitate, Joh. 17.  
 v. 20, 21, 22, 23. Eph. 4. v. 13.

6. *Materia Unionis, sunt subjectorum*  
*uniendorum essentia; ex unâ parte, Sub* Materia  
*stantia divina totius Sacrosanctæ Tri-* seu obje-  
*nitatis, 2. Pet. 1. v. 4. & Substantia Hu-* tum:  
*manæ naturæ Christi, Joh. 15. v. 1, 2, 4-*  
*1. Corinth. 6. v. 15, 17. Gal. 2. v. 20. Eph.*  
*5. v. 30. ex parte verò alterâ, substan-*  
127
A 5
tia

Forma; tia fidelium, quoad animam & corpus, 1. Corinth. 6. v. 15, 19. *Forma* vero consistit, non ( $\alpha$ ) in *Unione generali*, quâ Deus se omnibus creaturis communicat, cælumque ac terram implet, Jer. 23. v. 24. ut in ipso vivamus, moveamur & simus, Act. 17. v. 28. nec ( $\beta$ ) in *Unione Sacramentali*, secundum quam communicando unimur corpori & sanguini Christi, 1. Corinth. 10. v. 16. etsi tamen ad Unionem istam per hanc ducimur. nec ( $\gamma$ ) in *Unione Personali*, quâ verbum caro factum est, Joh. 1. v. 14. atque communicavit carni & sanguini, sicut pueri, Hebr. 2. v. 14. nec ( $\delta$ ) in *Solâ gratiosâ Spiritus Sancti operatione in credentibus*, quomodo dona linguarum, Act. 2. v. 3. seqq. & charismata alia fidelibus obtingunt, 1. Corinth. 12. v. 4. nec ( $\epsilon$ ) in *Concordiâ vel consensu voluntatis, aut solâ affectuum harmoniâ*, quæ tantum charitatis est, Phil. 2. v. 2. nec ( $\zeta$ ) in *Substantiali immutatione corporum nostrorum in corpus Christi*, contra

Wei.

Weigelianos: nec (?) aut in *Trans-*  
*substantiatione seu conversione* substantiæ  
nostræ in substantiam Dei & Christi,  
& vice versâ; aut in *Consubstantiatio-*  
*ne*, ut ex duabus essentiis fiat una; aut  
in *corporali conjunctione*, citra fidem;  
aut in *Adunatione naturali*, locali &  
commixtivâ; aut in *Coalitione* unito-  
rum in unam *ὑπόστασιν* seu personam,  
ut fidelis quisque sit Christus, & vi-  
cissim. Sed *propria Unionis* hujus *ratio*  
sita est, in *Conjunctione Spirituali*, verâ  
tamen & reali, adeoque arctiori ac  
ineffabili, substantiæ Hominis cre-  
dentis cum substantiâ Trinitatis &  
carnis Christi, sine extensione aut  
contractione essentiæ divinæ aut hu-  
manæ, extremis unitis essentialiter  
distinctis manentibus, etiam in medio  
unionis statu, Joh. 14. v. 23. 1. Corinth.  
6. v. 15, 17. 1 Joh. 5. v. 20. Hanc itaq; *uni-*  
*onem* si qui orthodoxorum *Substantia-*  
*lem* appellârunt, certum est, non *for-*  
*maliter* & ratione modi, sed *objectivè*  
ab Unionis extremis, quæ substan-

tiz

tia sunt, ita denominavisse.  
Proprie autem *substantiarum*,  
non substantialis dicenda erit.  
*Initium* utique hujus *Unionis*,  
cum momento *Regeneratio-*  
*nis*, *Justificationis* & *Renova-*  
*tionis*, idem omnino est. Fiunt  
enim hæc apotelesmata omnia  
simul, etsi, ob diversa conno-  
tata, unum altero, quoad no-  
strum concipiendi modum, &  
prius est.

Effecta: 7. *Effectus* hujusmodi *U-*  
*unionis*, est *Communicatio mysti-*  
*ca*, quâ *Deus* omnes bonitatis  
suæ divitias, *speciatim* *Goël* no-  
ster suam *mortem*, *Coloss.* 2. v.  
20. *ibidem* c. 3. v. 3. *passionem*, &  
*Gal.* 2. v. 20. *Phil.* 3. v. 10. *resurre-*  
*ctionem*, *Coloss.* 3. v. 1. *Eph.* 2. v.  
6. *Spiritum Sanctum*, *Rom.* 8. v.



10. 1. Corinth. 12. v. 13. *vitam su-*  
*am*, Rom. 6. v. 8. Gal. 2. v. 20.  
1. Joh. 5. v. 12. *Iustitiam suam*,  
2. Corinth. 5. v. 21. Phil. 3. v. 9.  
1. Corinth. 1. v. 30. *Victoriam su-*  
*am*, Joh. 16. v. 33. 1. Joh. 5. v. 4.  
5. Apoc. 3. v. 21. *jus filiale & hæ-*  
*reditarium*, Joh. 1. v. 12. Rom. 8.  
v. 14, 15, 17. 1. Joh. 3. v. 1. Gal. 4.  
v. 7. *jus regni*, Luc. 22. v. 29. A-  
poc. 5. v. 10. 1. Pet. 2. v. 9. *jus sa-*  
*cerdotij*, 1. Pet. 2. v. 5. *gloriam su-*  
*am*, scilicet quam suo merito  
nobis acquisivit, Rom. 8. v. 17.  
Joh. 17. v. 24. *gaudium etiam eter-*  
*num*, 1. Pet. 4. v. 13. gratiosè fi-  
delibus impertit; & vicissim,  
quæ Christi membris obveniunt,  
sibi appropriat, non ὡς οὐρανῶς,  
sed ἡστῆκῶς, ob externum re-  
spectum ex unione mysticâ re-  
sultan-

sultantem, Zach. 2. v. 12. Matth.  
10. v. 40. ibidem 25. v. 35. seqq.  
Luc. 10. v. 16. Joh. 13. v. 20. Act.  
9. v. 4. Coloss 1. v. 24. 1. Thes. 4.  
v. 8. *Affectiones* deniq; siue ad-  
iuncta sunt, (1) *Letitia* ex sensu  
gratiæ inhabitantis, Esa. 61. v. 3,  
7. Psal. 33. v. 21. Hebr. 6. v. 4, 5. (2)  
*Continuatio gratia per fidem*, verbi  
sedulâ auscultatione ac me-  
ditatione, & frequentiori Sa-  
cræ Coenæ usu, sustentandam  
conservandamque, Rom. 5. v. 2.  
Heb. 3. v. 6. (3) *Interruptio*, per  
peccata proæretica, Ps. 51. v. 3 (4)  
*Redintegratio*, Joh. 6. v. 37. *Fidelis*  
ille *Deus*, per quem vocati su-  
mus in *communione* filii ipsius  
Jesu Christi Domini nostri, *confir-*  
*met nos usq; ad finem* inculpatos,  
in diem Domini nostri Jesu Chri-  
sti, 1. Corinth. 1, v. 8, 9. Amen!

Adiun-  
cta.

## Corollaria.

1. *Articuli Fidei sunt partes vel capita doctrinae divinitus revelatae, de eo, quod ad salutem aeternam scire creditumque est necessarium.*

2. *Dividuntur (1) in Puros & Mixtos: (2) In Fundamentales & Nonfundamentales; (3) in Fundamentales Primarios & Secundarios; (4) in Primarios, Antecedentes, Constituentes, & consequentes fidei.*

3. *Quicumque Articulos fidei Fundamentales, praecipue Primarios, communi consensu recipiant, unum sunt in Christo, fratres spirituales & unius internae communionis. Dissidentes vero, ut unum non sunt sensu & Spiritu, sic nec fratres sunt, nec internam communionem gaudent.* μόνον αὐδίῳ καὶ ὁμοῦ θεῷ  
δοξα.

Præstantissime Dn. Respondens.

**O**mnia que corporis bona concernunt, vicissitudini obnoxia esse, eaque mortalitatem comitari, longe est certissimum; doctrina autem, ceu vero bono residenti in anime solio, nulla ex factorum dominio inimica vis imminere potest. Pretiosissimus enim hic thesaurus, quemadmodum conditionis indolisq; est sublimioris, ita supra fortuna quoq; positus est iniquitatem. Hac te pereximie Dn. Respondens altiori mente semper considerasse, indicio est quod & nunc & alias ex summo studio annixus es, ut illud decus, ex virtutis & bonarum litterarum studio quod promanat, consequeretur. In hoc ergo tam honesto studio constanti animo pergas, & fiet tandem, ut eum, quem tibi proposuisti, feliciter contingas scopum. Ego vero, qui tibi Dn. Respondens, hanc ingenij rectitudinem atq; progressus eximios vehementer gratulor, etiam voveo, ut plenus fortune secunda velis ad portum exoptatum pervenias!

Honoris & officij causa Dn.  
Respondenti hæc pauca  
scripsit

ERICUS ROSKOPF.